PROPOSITIONES

THEOLOGICO - DOGMATICÆ

EX PRÆCIPUIS CATHOLICÆ FIDEI FONTIBUS


Nempe ex Scriptura, Traditione, Conciliis, Ecclesia; necnon ex Tractatu de Sacramentis in genere excerptæ

Quas publice propugnabit

IN PONTIFICIO ANGLORUM COLLEGIO DE URBE

JOANNES FOOTHEAD LONDINENSIS

Ejusdem Collegii Alumnus, & S. Theologiæ Auditor.



ROMÆ MDCCLXXXIV.

E TYPOGRAPHIA SALOMONIANA

Præsidibus annuentibus

ANDREAE·CORSINIO

S· ROMANAE · ECCLESIAE · CARD.

EPISCOPO · SABINENSI

COLLEGI · ANGLORVM · PROTECTORI

CVIVS

AVSPICIIS · ET · PRVDENTIA

COLLEGIVM · RELIGIONE · ET · DOCTRINIS

NITESCIT · ET · FLORET

IOHANNES · FOOTHEAD

EIVSDEM · COLLEGI · ALVMNVS

HOC · STVDIORVM · SVORVM · SPECIMEN

PATRONO · BENEMERENTI

TAMQVAM · GRATI · ANIMI · MONVMENTVM

D · D · C.

De Sacra Scriptura.

I. Sacram Scripturam, a qua in hac noſtra Theologica exercitatione, exordium ducere placuit, quamdam dicimus Omnipotentis Dei ad creaturam ſuam Epiſtolam, qua hominibus ſuam mentem, & voluntatem manifeſtavit. Hæc autem Epiſtola tum Veteris, tum Novi Teſtamenti libris continetur; quos quidem genuinos eſſe, & authenticos firmiſſimis rationum momentis propugnamus.

II. Quinimmo eoſdem integros, & ſinceros in iis quæ ad rerum ibi contentarum ſubſtantiam, ſeu fidem, & mores ſpectant, uſque ad nos perveniſſe, defendimus adverſus quoſdam Eruditos autumantes, Vetus Teſtamentum a Judæis; Novum vero ab Hæreticis depravatum, ac corruptum fuiſſe.

III. Verum non in ea verſamur opinione, ut credamus, Sacram Scripturam ita puram, incorruptamque ad noſtram uſque ætatem deſcendiſſe, ut in eam nulla prorſus levioris momenti, vel ex innumeris propemodum excriptionibus, vel ex incuria, & oſcitantia Amanuenſium orta, decurſu temporis irrepſerint errata.

IV. Circa linguam, qua cum Veteris, tum Novi Teſtamenti libri primitus ſcripti fuerunt hæc certa nobis videntur: libros Veteris Teſtamenti, quos in ſuo Canone recipiunt Judæi, Hebraica lingua fuiſſe conſcriptos, ſi Danielis librum excipiamus, qui Chaldaice compoſitus fuit: ex libris vero quos Judæorum Canoni addidit Eccleſia Chriſti nonnullos Hebraice, quoſdam Chaldaice, alios Græce exaratos fuiſſe indubitatum exiſtimamus.

Ad libros autem Novi Testamenti quod spectat, eos omnes, uno excepto Matthæo, qui Syriace, sive Caldaice editus fuit, Græco Idiomate descriptos fuisse tenemus.

V. Inter Græcas Sacræ Scripturæ Versiones omnium antiquissima, & celeberrima semper habita est illa, quæ a Septuaginta duobus Judæis missis ab Eleazaro Summo Sacerdote ad Ptolomæum Philadelphum adornata fuit, ut narrat Aristæas in sua, quam edidit, de hoc argumento Historia. Hanc porro Historiam nonnulli ex recentioribus Criticis ad Judæorum somnia, & fabulas amandant, illiusque Architectum insignem fuisse tradunt impostorem. Nos vero fatemur quidem, in Aristææ libello quasdam historicas occurrere circumstantias, vel incertas omnino, vel falsas. At nisi veterum Patrum, & immensæ Scriptorum catervæ auctoritati derogari velimus, dubitare non possumus, quin historia illa vera sit quoad substantiam, ut firmissimis rationum momentis evincemus.

VI. Laudatos Septuaginta duos Interpretes, non Pentateuchum solum, ut nonnullis placet, sed omnes Veteris Testamenti libros, qui tunc apud Judæos Canonici erant ex Hebraico in Græcum vertisse idioma arbitramur.

VII. Complures Protestantes, ut majorem Versionibus, quas ipsi adornarunt, & quibus modo utuntur, auctoritatem concilient, alias omnes, quantumvis veteres, nec illa quidem excepta, de qua loquimur, nempe Septuaginta Interpretum rejiciunt, & damnant, contendentes, Versionem hanc vel penitus intercidisse; vel temporum injuria ita substantialiter fuisse depravatam, ut nunc ad fidem faciendam minime valeat. Nos ut hoc illorum commentum refellamus, demonstrare parati sumus, laudatam Versionem, non solum numquam periisse, sed etiam a quocumque substantiali errore immunem ad præsentem usque ætatem fuisse conservatam.

VIII. Hinc jure inferimus, etiam nostris hisce temporibus eamdem Græcam Versionem in iis, quæ ad fidem, & mores pertinent, controversiis, maximam habere auctoritatem. Ea quippe tamquam Sacra, & Canonica habita fuit a Christo, Apostolis, Ecclesia, Sanctisque omnibus veteribus Patribus.

IX. Inter omnes Sacræ Scripturæ Versiones Latinas principem procul dubio obtinet locum Versio Latina Vulgata, quæ jure, ac merito a Concilii Tridentini Patribus Sess. 4. authentica

tica declarata fuit, hoc eſt certiſſima tum Fidei; tum morum regula.

X. Decretum iſtud inſano prorſus furore vellicant recentiores Heterodoxi, Tridentinos Patres per ſummum ſcelus accuſantes, quaſi Vulgatam noſtram Verſionem Hebraicis Græciſque fontibus præpoſuerint; illorumque derogaverint authenticitati. Futiles prorſus querimoniæ; Tridentini enim Patres cum Vulgatam Verſionem authenticam declararunt, nihil plane auctoritatis Hebraico textui Veteris Teſtamenti; aut Græco Novi detractum voluere; illudque tantum definierunt, Vulgatam Latinam Verſionem in iis, quæ alicujus ſunt momenti a genuino Sacræ Scripturæ ſenſu haud diſcrepare, corruptam non eſſe iis in locis, quæ fidem, & mores ſpectant, ceteriſque latinis Verſionibus, quæ tum circumferebantur, eſſe anteponendam.

XI. De Sacrorum librorum divina inſpiratione pertractantes ita defendimus, omnia, quæ ſacris paginis tum Veteris, tum Novi Teſtamenti continentur, Scriptoribus Agiographis a Deo Opt. M. inſpirata fuiſſe, ut ii numquam humano dumtaxat ſpiritu ducti, locuti fuerint; ideoque in Canonicis libris, nec ullum vel parvi momenti mendacium poſſe inveniri.

XII. Arbitramur præterea adverſus nonnullos Eruditos, Scriptores Agiographos in iis recenſendis, quæ naturaliter ſcire, & cognoſcere non poterant, propria, & expreſſa indiguiſſe Spiritus Sancti revelatione; ea vero quæ vel viſu, vel auditu, vel meditatione didicerant non modo Spiritu Sancto aſſiſtente, ſed ipſo etiam afflante, ac dirigente, in litteras retuliſſe.

XIII. Quare merito concludimus, omnia, quæ in Canonicis libris leguntur, etſi ad morales exhortationes, vel ad meras hiſtorias pertineant, Deum habere auctorem; proindeque divinæ, & infallibilis eſſe auctoritatis.

XIV. Scripturam Sacram,quæ cum verbum Dei ſit,tutiſſima eſt fidei,morumque regula,recentiores Hæretici habendam eſſe tuentur tamquam unicum Judicem,ad quem pertineat omnes de Fide, & Religione controverſias dirimere, etiamſi agatur de Sacrorum librorum inſpiratione. Sed fraudulenter nimis judicem, qui ferre ſententiam debet, cum lege, ex cujus præſcripto pronuncianda ſententia eſt, confundunt. Scriptura enim Sacra terminandis controverſiis de Sacrorum librorum divinitate, de qua tantum in præſentiarum diſſerimus, per ſe ſola, omni ſecluſo ex-

terno magiſterio, ſufficiens omnino non eſt; atque idcirco judicium hoc a Chriſti Eccleſia, quæ columna eſt, & firmamentum veritatis, eſt expectandum.

XV. Hinc, quod fabulantur Calviniſtæ, privatum nempe cujuſque fidelis ſpiritum legitimum eſſe judicem inſpirationis, & ſenſus Sacrorum Voluminum; propterea quod divini Verbi cognitionem per ſe manifeſtiſſimam eſſe, nec ulla vel Eccleſiæ, vel hominum indigere approbatione, tradant, Spiritumque Sanctum in cordibus noſtris harum rerum veritatem teſtari atque ſuggerere; hoc, inquam, commentum deteſtamur; cum eo tendat, ut omnia in Religione nutantia ſint & incerta: atque non ad ſedandas, ſed ad fovendas potius & excitandas novas in dies contra fidem controverſias, videatur adinventum.

XVI. Pauca nunc de Canone Sacræ Scripturæ. Atque primum de illo, quo utuntur Hebræi, loquentes, eum non abignoti nominis auctore, qui poſt Judæ Machabæi ætatem florues rit, ut magna cum audacia non dubitavit affirmare Benedictu. Spinoſa; ſed ab Eſdra fuiſſe compoſitum indubitata fide tenemus, Quamvis non eo ſenſu, quod Sacros libros, vel in excidio Hieroſolymitano penitus combuſtos, vel in Babylonica captivitate deperditos, Spiritu Sancto dictante, ut aliqui cenſent, de novo conſcripſerit; ſed quod eos ſimul collegerit diſſipatos, ac in certum ordinem diſpoſuerit; recognitis, atque iis libris caſtigatis, in quos vel vitium, vel mendum aliquod, ob commemoratas viciſſitudines irrepſerat, Canonis dicimus auctorem.

XVII. Huic præterea Judæorum Canoni ab Eſdra edito, quem unicum fuiſſe ante Chriſti ætatem exiſtimamus, non defuiſſe Magnæ Synagogæ approbationem, cum præclari nominis Theologis cenſemus; inque eum, nec plures, nec pauciores, quam viginti duos libros ab Eſdra fuiſſe relatos.

XVIII. Suum etiam Catholicorum Eccleſia Scripturarum Canonem condidit. Nos eum amplectimur, & tuemur, quem Tridentina Synodus Seſſ. 4. edidit, & approbavit. Quare libros omnes, quos laudatum Concilium retulit in Canonem, tamquam Sacros & Canonicos recipimus, ac veneramur; cum Eccleſia Catholica nonniſi ex Apoſtolica traditione libros tum Proto-Canonicos, tum Deutero-Canonicos Sacros, & divinitus inſpiratos declaraverit.

XIX. Hinc refellimus, atque damnamus tamquam mancum & im-

& imperfectum Canonem, quem sibi efformarunt Hæretici, præsertim recentiores, qui ausi sunt, eos omnes e canone Scripturarum sacros libros expungere, qui in Canone desiderantur Hebræorum; atque alios non paucos ad novum Testamentum pertinentes, utpote qui eorum falsis Dogmatibus adversantur.

De Divinis Traditionibus.

XX. ADversus Heterodoxos, qui ut ostendant Verbum Dei in Scripturis Veteris, & Novi Testamenti dumtaxat contineri, Sacrarum Traditionum existentiam, necessitatemque oppugnant, sanctorum librorum auctoritate, quibus ipsi fidem non denegant, præsertim innixi, propugnamus, Traditiones, quæ per sermonem sine scripto, vel a Christo, vel ab Apostolis ad nos usque pervenerunt, non solum adhuc existere, sed etiam esse necessarias. Quomodo namque sine earum ope innotescere nobis poterit, quo sensu Apostoli explicaverint, ac Ecclesia constanter intellexerit plura Scripturæ loca, quæ per se obscura & ambigua videntur? Quomodo, nisi per divinam Traditionem absque erroris periculo libri Canonici a non Canonicis discerni possunt, & genuinos Scripturæ sensus a spurio separari? Quomodo tandem multa Fidei dogmata, quorum aliqua etiam Novatoribus communia sunt, de quibus aut nulla, aut nonnisi obscura commemoratio occurrit in Sacris litteris, probare, & tamquam divinitus tradita propugnare poterimus, nisi ad divinas confugiamus Traditiones?

XXI. Hinc operam omnem perdunt, simulque propriam ostendunt contradicendi libidinem, dum Dominicas, Apostolicasque spernentes Traditiones, ad earum vel negandam existentiam, vel elevandam necessitatem plura in medium producunt SS. Patrum loca in pravum sensum ab ipsis violenter detorta; cum certum, ratumque sit, veteres Patres, illos etiam, quos laudant adversarii, firmiter Catholico de Traditionibus dogmati semper adhæsisse.

XXII. Præterea, non existentiam modo, & necessitatem; sed auctoritatem quoque Sacrarum Traditionum agnoscendam

esse contendimus; ita ut sicut verbum Dei scriptum; ita & verbum Dei traditum pari pietatis affectu, & reverentia sit suscipiendum; nam ex verbo Dei, sive scripto, sive tradito, firmum, atque ineluctabile, tum ad Catholicæ Fidei dogmata confirmanda, tum ad falsas Hæreticorum refellendas opiniones, deducitur argumentum.

XXIII. Ex hoc ipso autem, quod vetustiores & nostrorum temporum Novatores hanc de Sacrarum Traditionum existentia, auctoritate, usuque legitimo, Catholicam Doctrinam impugnaverint, recte deducimus, nefas esse, earum originem, continuamque successionem perturbare, vel obscuram reddere, atque incertam.

XXIV. Obscura porro, atque incerta redditur Traditionum origo, si cum Berruyerio dicatur, omnia Christianæ Religionis dogmata, uno excepto Incarnationis Mysterio, Apostolorum privatæ institutioni fuisse a Christo post Resurrectionem suam concredita; ab Apostolis autem in privata Schola, paucisque dumtaxat fidelibus tradita fuisse, ceteris vero occultata. Hoc humanæ mentis figmentum apertissimis Scripturarum locis, constantique Ecclesiæ Fide explodimus.

XXV. Redditur autem obscura & incerta, vel potius omnino tollitur ejusdem Traditionis successio, si cum Joanne Harduino afferatur, vera, certa, atque genuina non esse, quæ SS. Patrum nomine circumferuntur opera, sed esse spuria, ac supposititia, nec nisi circa Seculum decimum tertium conficta ab Impostoribus.

XXVI. Tollitur denique Traditionum usus, si cum eodem Berruyerio statuatur, ex scriptis SS. Patrum, quamvis genuinis, illorum mentem, & sensum nos assequi minime posse, ob nimiam nostrorum temporum ab illorum ætate distantiam. Verba quippe, phrases, ipsamque linguam, qua veteres Patres scripserunt, innumeris, & quidem arbitrariis mutationibus obnoxias fuisse contendit.

XXVII. Profanas hasce novitates Traditionum existentiam, & auctoritatem labefactantes, ut refellamus, ostendimus, posse regularum critices ope, quod jam feliciter a multis factum fuit, si non omnia, pleraque tamen germana veterum Patrum scripta a spuriis, sincera a corruptis secerni: demostramus pariter, in pluribus certos nos esse posse de genuino veterum Pa-

Patrum ſenſu; & inconcuſſas ſuppetere regulas, quarum ope ambigua & obſcura loca declarentur.

XXVIII. Contra illos demum Novatores, qui Sacrarum Traditionum auctoritatem admittere non renuerent, ſi eis ſuaderi, comprobarique poſſet, præfatas Traditiones, per tot ſecula, quæ ab Apoſtolis ad nos uſque interfluxerunt, integras, & incorruptas ſervatas fuiſſe, quod minime fieri poſſe cenſent, cauſantes, magnificiſque verbis exaggerantes veterum noſtrorum ſummam ignorantiam, ſimplicitatem, negligentiam, exilia, perſecutiones, aliaque infortunia: contra illos, inquam, demonſtrandum aggredimur, divinas Traditiones, ab Apoſtolis ad hæc uſque tempora ſervatas fuiſſe, & ſervari poſſe deinceps uſque ad conſummationem Mundi integras, & incorruptas; atque varios tradimus hujus perpetuæ conſervationis modos, & media certiſſima.

De Conciliis.

XXIX. Concilium, ſeu Synodus nihil aliud eſt, quam Præſulum Eccleſiæ in unum locum congregatio a legitima poteſtate convocata, ut de rebus gravioribus ad Eccleſiam ſpectantibus, cujusmodi ſunt quæ vel ad fidem, vel ad mores, vel ad diſciplinam pertinent, agant, ferantque judicium. Sed quoniam vel totius Orbis, vel unius Nationis, vel unius Provinciæ, vel unius tantum Diœceſis Paſtores in unum locum ad res Eccleſiaſticas pertractandas congregari poſſunt; hinc cum omnibus Theologis pronunciamus, aliud eſſe Concilium generale, aliud Nationale, aliud Provinciale, & aliud demum Diœceſanum.

XXX. Concilium, quod omnes habet requiſitas a Catholicis mox exponendas conditiones, dicitur legitimum: ſi ei vero vel unica dumtaxat deſit conditio, illegitimum eſt, niſi illius conditionis defectui aſſenſu, ſeu acceptatione Eccleſiæ, & Romani Pontificis ſuppleatur. Quoniam vero Conciliorum convocatio ad ſpirituale regimen, munuſque paſcendi refertur; una ex hujuſmodi conditionibus eſt, ut jus illa convocandi ad ſolos pertineat Eccleſiæ Paſtores. Hinc Concilia Nationalia a Primatibus; Provincialia a Metropolitanis, ſive Archiepiſco-

pis; Diœcesana ab Episcopis; Generalia vero a Romano Pontifice, cui universalis Ecclesiæ cura divinitus commissa est, ordinario jure sunt congreganda. Quare nisi a Romano Pontifice vel præcipiente, vel saltem annuente Œcumenicum Concilium fuerit convocatum, illud nec est, nec dici potest legitimum. Audiendi ergo non sunt Hæretici, qui jus convocandi Concilia generalia ad Imperatores; Nationalia ad Reges; reliqua ad Urbium Magistratus pertinere insolenter defendunt.

XXXI. Quamquam ad generale Concilium vocari, & admitti possint Presbyteri, & minores etiam Clerici, ut disputando, controversias definiendas examinent, conferantque cum Episcopis; atque etiam Imperatores, Reges, ac Principes, ut Concilium defendant, curentque, ut omnia recto ordine, & pace peragantur; ac demum alii sive Laici, sive Clerici, ut administrent, quales sunt Notarii, Custodes &c. tamen ut Concilium sit legitimum ii omnes, quamvis doctissimi, ac sanctissimi admitti non debent ad suffragium ferendum decisivum.

XXXII. Hoc quippe jure ex divina institutione fruuntur dumtaxat qui Episcopali dignitate insigniti sunt: quamvis paucis abhinc seculis etiam. S. R. E. Cardinalibus, Generalibus Ordinum Præpositis, & Abbatibus, licet Episcopi non sint, isthæc prærogativa concessa fuerit, ex jure Ecclesiastico, seu ex privilegio.

XXXIII. De Conciliorum Præsidentia, quæ est tertia ad legitimum Concilium requisita conditio, pauca dicenda sunt. Lutherani, & Calvinistæ, aliique malæ causæ patroni, ut omnem a Romano Pontifice Ecclesiasticam amoveant potestatem, audacter contendunt, jus illud ad solum Romanum Imperatorem pertinere. Nos vero cum Catholicis propugnamus, solum Romanum Pontificem per se, vel per suos legatos, pro ea, qua supra omnes Episcopos, ac Fideles auctoritate pollet, ex jure divino ordinariam habere potestatem præsidendi Concilio generali. Quodsi aliquando Imperatores præfuerint, factum id est quoad honoratiorem locum dumtaxat, ut in Conciliis nempe externus servaretur ordo, & omnia pacifice, ac libere ab Episcopis peragerentur.

XXXIV. Præter recensitas hactenus conditiones, quatuor aliæ, ut Concilium generale sit legitimum, a Catholicis requiruntur. Primum ut ad Concilium totius Orbis Episcopi convocari debeant; cum omnibus & singulis Episcopis Actor. 20. dictum fuerit: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus San-*

Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; unde cum Episcopi sint Pastores, Doctores, ac Judices, de rebus gravioribus Ecclesiasticis judicandi habent potestatem, quam quidem præsertim exercent in Conciliis. Deinde cum in generali Concilio totius Ecclesiæ tractentur negotia, necesse est, ut ad illud tot reapse conveniant Episcopi, quot videntur sufficere ad universam Ecclesiam repræsentandam. Præterea, Episcopis in Conciliis integra examinandi, ac definiendi Ecclesiasticas controversias relinqui debet libertas; ubi enim non est libertas, ibi non est Spiritus Dei, sed illius, qui ab Episcopis assensum, & suffragium extorquet; hinc Concilium Ariminense, quamvis legitime inchoatum, Concilium Mediolanense, Concilia Sirmiensia, Ephesinum II. quod vulgo prædatoria Synodus nuncupatur, atque alia quamplura, defectu hujus conditionis illegitima prorsus evaserunt. In iis quippe, quoniam per vim ab Imperatoribus, vel a Militibus, vel ab aliis illatam extorta fuerunt ab Episcopis contra eorum voluntatem suffragia, exitus infaustus semper fuit. Ultima tandem conditio est, ut Romanus Pontifex, quæ in Concilio statuta sunt confirmet, ac determinet; determinata vero, ac confirmata pronunciet, & promulget; sicuti namque ad Romanum Pontificem spectat Concilii initium, convocatio scilicet, ac præsidentia; ita ad illum spectare debet finis, videlicet confirmatio, pronunciatio, & promulgatio.

XXXV. Expositis conditionibus ad legitimum Concilium requisitis, aliquid de auctoritate, quam Concilia tum particularia, tum generalia habent, statuendum est. Concilia itaque particularia, licet errare possint, cum infallibilitatis minime prædita sint privilegio; non levi tamen pollent auctoritate. Longe autem majorem obtinebunt, si illorum Constitutionibus Romani Pontificis, aut Ecclesiæ accesserit confirmatio. Quare Conciliorum peculiarium decreta in iis, quæ ad fidem, & mores spectant magno suscipienda sunt obsequio; in iis autem, quæ peculiarem nationum disciplinam, & ritum respiciunt, dicimus, juxta probatas regionum, & nationum consuetudines, esse tenenda.

XXXVI. Concilia insuper generalia, quæ legitima sunt, & in Christi nomine congregata, dono infallibilitatis potiuntur in iis, quæ fide tenenda, vel moribus observanda decernunt. Universam quippe repræsentant Ecclesiam, quæ fundata est super firmam petram, adversus quam portæ inferi prævalere non pos-

possunt, cum Christus assistentiam suam illi spoponderit usque ad consummationem seculi. Hinc desumptum ex iis pro fide & moribus argumentum certissimum, tutissimum, firmissimumque existimamus.

XXXVII. Lutherus denique, & Calvinus, quibuscum complures recentiores Protestantes faciunt, eo insaniæ devenerunt, ut demonstrare tentaverint, omnia Concilia ante eorum ætatem celebrata, nec etiam illo Apostolorum, cujus mentio fit cap. 15. Actor. excepto, turpiter in suis decretis ad fidem, & mores spectantibus, errasse; imo Lutherus temerario prorsus ausu pronunciavit, Conciliorum etiam generalium Constitutiones non tanti in Ecclesia Christi valere, quanti cujuslibet Parochi, vel Ludimagistri sententiam. Nos hujusmodi blasphemias execrantes, atque damnantes, firma fide tuemur excipienda esse tamquam divinitus tradita, Conciliorum illorum decreta, quæ vere œcumenica & legitima censentur; nec ex iis ullum umquam a veritate excidisse in Sanctionibus, quæ vel fidem, vel mores respiciunt.

De Ecclesia.

XXXVIII. Ecclesia Christi in terris militans optime definitur: Cœtus hominum baptizatorum a Christo Domino convocatus, & institutus, ejusdem fidei professione, eorumdemque Sacramentorum communione sub legitimorum Pastorum, & præsertim Romani Pontificis regimine colligatus. Mox traditam definitionem tamquam accuratissimam defendimus, non modo contra Launojum, qui novitatis eam accusare audet, propterea quod mentio in ea fiat subjectionis legitimis Pastoribus; sed etiam adversus omnes Hæreticos, qui alias, & alias sibi pro lubitu fingunt definitiones.

XXXIX. Inter quos, Protestantes prætensæ Reformationis initio, animadvertentes defectu trium conditionum, quas in Ecclesiæ definitione indicavimus, jure a Catholicis extra Ecclesiam positos existimari, ut ejusdem Ecclesiæ judicia eluderent, & potestatem, sese confunderent cum Catholicis, antiquiores quosdam Hæreticos imitati, commenti sunt, Ecclesiam Christi vel esse congregationem hominum dumtaxat perfectorum, & ju-

justorum ; vel societatem tantum prædestinatorum. Sed irrito prorsus conatu. Electi enim neque soli, neque omnes, itemque non soli justi, sed & peccatores sunt in Ecclesia. Quare merito S. Aug. Tract. 45. in Joan. exclamabat: *Secundum præscientiam, & prædestinationem, quam multæ oves foris, quam multi lupi intus!* Et S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum; ita ipsum alloquitur: *Firmissime tene & nullatenus dubites aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam usque ad finem seculi frumento mixtas paleas contineri, idest bonis malos Sacramentorum communione misceri.*

XL. Sed hæc fuit semper erroris indoles, ut sibi diu constare non posset; unde Catholicorum argumentis victi Heterodoxi, ad aliud, quod Jurius Calvinistarum Minister excogitavit Ecclesiæ systema, animum convertentes, arbitrantur Ecclesiam Christi ex omnibus etiam Hæreticis & Schismaticis constare, qui fundamentales fidei articulos retinent, & profitentur. Verum & ad hoc commentum refellendum, parati sumus propugnare, in vera Christi Ecclesia nullo modo publicos Hæreticos, manifestosque Schismaticos locum habere, utpote membra a Christi corpore, quod est Ecclesia, penitus avulsa, quamvis fidei articulos, quos ipsi fundamentales appellant, non rejiciant.

XLI. Quinimmo adversus eumdem Jurium jure, meritoque concludimus publicos Hæreticos, & manifestos Schismaticos, quamtumlibet laudabiliter se vivere existiment, hoc solo scelere, quod a Christi unitate separati sint, nisi ad unitatem Ecclesiæ redeant, æternam salutem consequi minime posse, sed iram Dei perpetuo manere super illos.

XLII. At quoniam multæ sunt in toto orbe societates sibi mutuo infensæ, quæ se invicem damnant, & anathemate feriunt, quæque singulæ penes se veram Christi Ecclesiam consistere jactant, maxime interest, quænam inter eas sit vera Christi Ecclesia, & quomodo a falsis societatibus secernatur cognoscere, ac definire. Id porro facile præstabimus, si ad quasdam notas, seu signa, quæ ita veræ Ecclesiæ conveniunt, ut nullo prorsus modo, saltem si simul accipiantur, Hæreticorum, Schismaticorum, Infideliumque societatibus aptari queant, animum convertamus. Præcipuæ autem hujusmodi notæ sunt quatuor illæ, quas ita Symbolum Constantinopolitanum recenset: *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam.*

XLIII.

XLIII. Et sane, Sacræ Scripturæ sæpissime prædicant veram Christi Ecclesiam esse unam. Cumque Unitas hæc in eo præsertim sit constituenda, ut omnia Ecclesiæ membra uni Capiti visibili Romano Pontifici, Unitatis centro, subsint; de ejusmodi prærogativa gloriari non possunt, nisi soli fideles, qui Catholici Romani dicuntur, non vero Hæretici, & Schismatici, etiamsi in articulis, ut inquiunt, fundamentalibus non errent; cum pertinaciter saltem renuant debitam ad servandam Unitatem, Supremo Ecclesiæ Pastori Romano Pontifici præstare obedientiam.

XLIV. Quamvis præterea Ecclesia multiplici titulo sancta dici possit, ac debeat; nihilominus ut societas a Christo instituta, a societatibus ab hominibus pro eorum voluntate efformatis manifestissime secernatur, veræ Ecclesiæ Sanctitatem reponendam esse censemus in sanctitate Institutorum; in sanctitate doctrinæ, & professionis; & in sanctitate gloria miraculorum confirmata. Jam vero societas Catholicorum, & quidem sola, sanctos habuit Institutores. Etenim hanc Christus, qui est Sanctus Sanctorum, primitus instituit; fundarunt, & ædificarunt deinde Apostoli; innumeri Martyres sanguine miraque in tormentis constantia, complures SS. Patres indefesso in profligandis hæresibus labore confirmarunt, & propagarunt; quos omnes excelluisse sanctitate, nec ipsi Protestantes audent inficiari. Huic deinde Ecclesiæ non deest quoque sanctitas doctrinæ & professionis. Fidei namque dogmata, quæ hujus societatis homines admittunt, vel in Sacra Scriptura, vel in Traditione, vel in Conciliorum definitionibus expresse continentur. Regulæ morum ad humanam vitam recte componendam ab ipso Christo primitus in Evangeliis, tum a SS. Patribus in Conciliis Ecclesiasticis traditæ inveniuntur. Annales demum Ecclesiæ a Christi ætate ad hoc usque nostrum ævum innumera suppeditant & quidem stupenda miracula ab omnipotenti Deo sua virtute patrata per eos, qui in Societate vixerunt Catholicorum. Sed numquid sanctitas isthæc, quam proprio jure sibi vindicat Ecclesia Catholicorum, inveniri poterit in quavis Societate Hæreticorum? Sit in exemplum Societas Protestantium, quæ præ ceteris in orbem nostris hisce temporibus grassatur. Quinam fuerunt hujus Societatis In-

Inſtitutores? Lutherus, Calvinus, Zuinglius, aliique ejusdem modi furfuris homines, quos fuiſſe ſanctitate fulgentes, nec ipſi Proteſtantes audent affirmare. Facile inſuper erit oſtendere, ex collatione errorum, per veteres Hæreticos propugnatorum, cum erroribus, quos modo tenent Proteſtantes, eorum ſocietatem carere ſanctitate doctrinæ, & profeſſionis. Multa enim ſunt in antiquis Hæreticis errorum portenta ab Eccleſia proſcripta, quæ a Proteſtantibus adoptata, etiam his temporibus ab ipſis propugnantur. Deſunt tandem eidem ſocietati miracula; ea ſiquidem nec recitantur, nec ſi vellent, recitari poſſunt a Proteſtantibus. Quare cum illorum Societas characteribus deſtituta ſit, qui veram conſtituunt ſanctitatem, fidenter concludere poſſumus, Catholicorum dumtaxat, non Proteſtantium, aliorumque Hæreticorum ſocietati veræ Sanctitatis notam convenire.

XLV. Præterea vera Chriſti Eccleſia debet eſſe Catholica, ſcribente Aug. lib. de vera Religione cap. 7. *Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur non ſolum a ſuis, verum etiam ab omnibus inimicis*. Hujusmodi autem Catholicitas non in alio certe conſiſtit, quam in univerſalitate doctrinæ, temporis, & loci. Et quoniam ſola Eccleſia, quæ a principali Sede, Romana appellatur, quæque cœpit ab Apoſtolis in Jeruſalem, & per univerſum terrarum Orbem diffuſa ad nos uſque deſcendit, easdem ſemper, conſtanterque docens, ac tenens veritates a Chriſto, & ab Apoſtolis traditas, atque ab Eccleſia ſuccesſu temporis explicatas, ac definitas abſque ulla prorsus, vel circa fidem, vel circa regulas morum mutatione; & a nobis deinde juxta Prophetarum oracula per ſucceſſivas ætates tranſibit ad poſteros uſque ad Seculi conſummationem, deſcriptam habet univerſalitatem: hinc jure meritoque confiteri tenemur, ſolam Eccleſiam Romanam eſſe vere Catholicam; eodemque Catholicitatis nomine inſigniri non poſſe quaslibet ſocietates a Romanæ Eccleſiæ fide, vel communione ſejunctas, utpote quæ vera Chriſti Eccleſia, a qua diſceſſerunt, recentiores ſunt, nec ubique inveniuntur.

XLVI. Denique vera Eccleſia poſt Jeſu Chriſti adventum dicitur, & vere eſt Apoſtolica, tum ob antiquitatem originis, & doctrinæ ab Apoſtolis derivatæ, tum propter Paſtorum

rum suorum legitimam auctoritatem, missionem, & successionem ab Apostolis numquam interrupta serie descendentem; quae quidem successio in suprema Sede, a Petro Apostolorum Principe fundata, perpetuo perseverat. Sola Ecclesia Romana de hac Apostolicitatis proprietate jure gloriari potest; nam reliquae sectae omnes alios prorsus ab Apostolis habent parentes & institutores, aliamque profitentur doctrinam; atque successionis Apostolicae filum jamdiu est apud ipsas intercisum. Neque vero dici potest, legitimam hanc Episcoporum ab Apostolis successionem vigere saltem in Communione Anglicana; nam quamvis concedatur hujus Communionis Auctores legitimos Episcopos ante Schisma fuisse in Ecclesia Romana ordinatos; atque ex iis postea alios omnes derivasse Ministros, nihilominus cum statim post excitatum Schisma, profanam in eorum Ordinationibus, veteri abjecta, adsciverint *Formam*, sub Eduardo VI. Anglorum Rege de novo procusam, illamque adhuc sacrilege adhibeant, invalidae, ac omnino nullae sunt eorum ordinationes.

XLVII. Ex quo sola Ecclesia Romana sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica, optime infertur, illam esse veram Christi Ecclesiam, in eaque sola sanctitatem, justitiam, aeternamque salutem obtineri posse; proindeque non ad veram Christi Ecclesiam, sed ad Antichristi potius synagogam pertinere societates, quae cum Ecclesia Romana, centro Unitatis, Sanctitatis, Catholicitatis, & Apostolicitatis non communicant.

XLVIII. Praeter recensitas hactenus notas, tres Ecclesia nacta est a Christo Domino eximias proprietates, visibilitatem nempe, indefectibilitatem, & infallibilitatem. Primo itaque definimus veram Christi Ecclesiam debere esse, ac perpetuo fuisse, & futuram fore visibilem, omnibusque conspicuam, tamquam Civitatem supra montem constitutam, & lucernam positam in candelabro. Verum hac visibilitatis dote sola Catholicorum Ecclesia exornata est; nec eam jure possunt sibi arrogare Heterodoxi, in quos intorqueri possunt quae de Valentinianis, & Marcionitis inquiebat S. Irenaeus lib. 3. de Haer. cap. 4. *Ante Valentinum non fuerunt, qui sunt a Valentino, neque ante Marcionem, qui sunt a Marcione*; unde & nos repetere possumus; ante Lutherum non fuerunt Lutherani, nec Cal-

Calviniani ante Calvinum, ſicque de ceteris loquendo Novatoribus.

XLIX. Vera Chriſti Eccleſia præterea prout a nobis in ſuperioribus definita eſt, deficere non poteſt; nec ullis umquam temporibus uſque ad mundi finem erit interitura; perpetua namque ſponſi ſui Chriſti Domini præſentia freta, nullos inferorum impetus poterit pertimeſcere. Quare S. Aug. Serm. 2. in Pſal. 103. exclamat: *Ubi ſunt qui dicunt periiſſe de Mundo Eccleſiam, quando nec inclinari poteſt?*

L. Tandem Eccleſia Chriſti dono pollet infallibilitatis. Omnes quippe particulares Eccleſiæ per univerſum orbem diſperſæ ſimul in iis conſentientes cum Romano Pontifice, quæ ad fidem & mores pertinent errare minime poſſunt. Hinc veteres SS. Patres ſolo unanimi Eccleſiarum conſenſu ſæpiſſime confutarunt, atque damnarunt hæreſes complures, quæ tribus præſertim prioribus ſeculis Eccleſiam exagitarunt; unde merito Vincentius Lirinenſis Common. 1. cap. 3. docet: *In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.*

LI. Ex tribus hactenus enumeratis veræ Chriſti Eccleſiæ proprietatibus probe colligimus, atque repetimus (quod numquam ſatis repeti poteſt) ſolam Eccleſiam Romanam, aliaſque cum ea ſervantes communionem, eſſe veram a Chriſto, & ab Apoſtolis inſtitutam & propagatam Eccleſiam; atque ab ea removendas congregationes omnes tum Hæreticorum, tum Schiſmaticorum. Illa namque, non iſtæ Viſibilitatis, Indefectibilitatis, & Inerrantiæ privilegio, ſeu dote gaudet, ſervabitque conſtanter uſque ad ſeculi conſumamtionem.

De Sacramentis in genere.

LII. DE Sacramentis in genere adverſus recentiores Hæreticos, qui pretioſiora Chriſtianæ Religionis Myſteria non ſolum ſubvertere, ſed & ſupprimere tentant, pertractaturi, ab initio vel ipſum Sacramenti nomen tenemur ab eorum cavillis vindicare. Ii namque qui de ſuperbiſſimo Reformatorum nomine gloriantur, ut incautis ſimplicibuſque hominibus impiam inſtillent opinionem, Sacramenta videlicet Novæ Legis nullam habere in ſe efficaciam; ſed mera eſſe ſigna

signa

ſigna vacua, & egena, Sacramenti vocabulum novum eſſe, ſuperſtitioſum, adeoque reiiciendum exclamant, ejuſque loco *ſigni*, vel *Symboli* vocem eſſe ſubſtituendam, temerario auſu pronunciant. Sed toto cœlo a veritate recedunt. Hoc quippe nomen, quod pro ſigno rei alicujus ſacræ, non cujuſque, ſed quæ conferendæ gratiæ inſtrumentum eſt efficax, accipimus, tamquam antiquiſſimum, ſacratiſſimum, & jure ab Eccleſia receptum, & approbatum firmiter retinendum eſſe cenſemus.

LIII. Atque ut accuratam de Sacramentorum natura ideam concipiamus, hanc vel non abſimilem adoptandam eſſe arbitramur definitionem: Sacramentum eſt ſignum ſenſibile a Deo lege ſtabili inſtitutum, quod gratiæ tum ſignificandæ, tum conferendæ vim habet. Hanc definitionem ab omnibus Catholicis receptam, & propugnatam pro more ſuo rejiciunt Novatores, aliaſque proprio marte ſubſtituunt, quæ licet aliquid veri contineant, nihilominus, vel minus aptæ ad Sacramentorum naturam explicandam habentur; vel eo denique tendunt, ut a Sacramentis virtutem gratiæ conferendæ ipſis divinitus attributam ſubmoveant, totamque illorum efficaciam in eo conſtituant, quod valeant fidem dumtaxat, ac pietatem erga Deum excitare.

LIV. De Sacramentorum Novæ Legis numero adeo varij, & inconſtantes fuerunt ſemper Pſeudo-Reformati, ut nihil firmum ex eorum operibus erui poſſit. Verum penes Lutheranos, & Calviniſtas communis hæc videtur eſſe hodie ſententia, ut duo tantum ſint Evangelicæ Legis Sacramenta, Baptiſmus ſcilicet, & Euchariſtia, quam ipſis, ut etiam in hoc Catholicos reprehendant, appellare placet *Cœnam*. Sed numquid in hoc ſaltem ſincere ſe gerunt? Fucum faciunt; nullumque reapſe proprie, ſtricteque dictum Sacramentum admittunt; cum de efficacia Sacramentorum, quæ a ratione Sacramenti rigoroſo ſenſu accepti ſejungi nequit, peſſime, ut in ceteris, ſentiant. Erit itaque cum Catholica Eccleſia tenendum, Sacramenta proprio, veroque ſenſu accepta, eſſe numero ſeptem, nec plura, nec pauciora, nimirum, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, ut decrevit Tridentina Synodus Seſſ. 7. can. 1.

LV. Quibus certe accenſenda nequaquam eſt Lotio pedum, Feria V. in Cœna Domini fieri ſolita; quam licet Chriſtus Domi-

mi-

minus instituerit, ut fideles illius exemplum sectantes, vilissima quæque ministeria in fraternæ caritatis, humilitatisque testimonium exercerent; noluit tamen illam ad Sacramenti rationem elevare: nec oppositum umquam tradiderunt SS. Ambrosius, & Bernardus.

LVI. Partes, quibus Sacramenta coalescunt, *materia* & *forma* pervulgata consuetudine a Catholicis appellantur, cum Sacramenta duobus revera constent, rebus nempe, tamquam *materia*, & verbis, tamquam *forma*. Omnium autem, & singulorum Sacramentorum materiam, & formam Christum instituisse concors est Catholicorum sententia. Et licet ad fidem haud quaquam pertinere confiteamur, Christum quorumlibet Sacramentorum materias, & formas in specie determinasse; nos tamen validis innixi fundamentis, eam sententiam tamquam certam sequendam esse arbitramur.

LVII. Materia autem, & forma Sacramentorum prout instituta, ac determinatâ fuerunt, diligentissime absque ulla prorsus mutatione servanda sunt, & adhibenda. Quare quælibet substantialis mutatio vel in materia, quæ nempe elementi naturam corrumpit, vel in forma, quæ scilicet verborum subvertit sensum, Sacramentum vanum reddit & irritum; quod plane non evenit, si mutatio sit tantum accidentalis. Caveat tamen Minister, ne in Sacramentis conficiendis, mutationem aliquam, etiam levissimam inducat ex contemptu; eo enim in casu a gravi culpa excusari nonpoterit; cum Ecclesiam ipsam contemnens, privato suo judicio illorum sententiam posthabet, quibus Ecclesiæ suæ regimen Deus comittere voluit.

LVIII. De virtute & efficacia Sacramentorum Novæ Legis, Catholica est defendenda sententia adversus Heterodoxos, qui Novæ Legis Sacramenta, non secus, ac illa Veteris Legis, gratiam producere opinantur, *ex opere*, ut inquiunt, *operantis*, intuitu scilicet fidei, vel caritatis administrantium, & recipientium, quod pravum systema ex jacto semel illorum perverso principio, quod videlicet sola fides justificet, tamquam rivulus ex fonte dimanat; unde in illorum sententia Sacramenta nihil aliud in suscipientibus præstant, quam illorum movere, & excitare fidem, cui Deus gratiam largiri promiserit. Contra, inquam, perniciosissimum hoc Hæreticorum Systema cum Ecclesia Catholica tenendum est, Veteris quidem Legis Sacramenta gratiam produ-

duxisse *ex opere operantis* : at Sacramenta Legis Evangelicæ gratiam non conferre nisi *ex opere operato* ; hoc est , non fidei , aliarumque virtutum intuitu , sed propria divinitus accepta energia ; ita ut fides , spes , timor , aliaque opera supernaturalia dispositiones quidem sint ad gratiam obtinendam requisitæ , minime vero illius causæ effectrices .

LIX. Hinc sua veluti sponte fluit , verba , quæ formam constituunt Sacramentorum , non esse nude promissoria , vel concionatoria , quomodo iidem Potestantes , ut suis cohæreant principiis , affirmare coguntur ; sed esse vere , ac proprie consecratoria ; cum totam vim habeant , & efficaciam ex intrinsecis suis.

LX. Ad hæc præter gratiam , quam omnia Sacramenta semper iisc onferunt , qui nullum obicem ponunt , tria Sacramenta, Baptismus , Confirmatio , & Ordo hoc peculiare habent , ut in anima recipientium imprimant characterem , seu signum quoddam spirituale , & indelebile , per quod Christianus homo distinguitur ab aliis , idoneusque fit ad nonnulla , quæ sunt cultus Divini , videlicet in Baptismo ad alia recipienda Sacramenta ; in Confirmatione ad profitendam fidem ; in Ordinatione tandem ad status Ecclesiastici functiones obeundas ; unde consequitur , nefas esse tria illa Sacramenta iterare . Audiendi ergo non sunt Heterodoxi , qui Sacramentalem hunc characterem tamquam merum a Scholasticis recens excogitatum commentum rejicere , & damnare non verentur .

LXI. Soli homines in hoc mortalis vitæ statu degentes ordinarii sunt Ministri Sacramentorum , quamvis non omnes singula promiscue Sacramenta administrandi habeant potestatem , sed ii dumtaxat , qui per legitimam ordinationem auctoritatem ea conferendi acceperunt , si unum excipiamus Baptismum , qui ubi necessitas urgeat a quovis conferri valide & licite potest . Quare turpiter erravit Lutherus , dum omnes indiscriminatim Christianos , pueros etiam , ac mulierculas Sacramentorum constituit ministros ordinarios , quod in Baptismate eam acceperint facultatem .

LXII. Tres insuper requiruntur in Ministro conditiones , fides nempe , sanctitas , & intentio , ut tum valide , tum licite Sacramenta conficiantur , aut dispensentur . Sed de iis conditionibus , quid contra Hæreticos Catholica sentiat Ecclesia nunc exponendum est quambrevissime . Primo itaque adversus Reba-

pti-

ptizantes, & Donatistas asserimus, Baptismum a Ministro Haeretico, vel etiam Infideli consecratum, modo ritus a Christo praescriptus sit adhibitus, validum esse, nec proinde repetendum; cum *non sit Schismaticorum, vel Haereticorum, sed Dei Ecclesiae ubicumque fuerit inventus*, ut Aug. inquit lib. 1. de Bap. cap. 14. atque adeo ut valeant Sacramenta non esse necessariam Administrantium fidem.

LXIII. Sed neque in Ministris, ut valide Sacramenta conficiant, requiritur Sanctitas, seu status gratiae Sanctificantis; nam ut idem Augustinus Tract. V. in Joan. ait: *Non exhorreat Columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus?* Unde adversus eosdem Donatistas, Anabaptistas, aliosque complures Haereticos propugnamus, irrita non esse Sacramenta a peccatoribus non tantum occultis, sed etiam publicis administrata; quamvis qui sic ea conficiunt, vel dispensant graviter procul dubio peccent, ut laudatus mox S. Doctor lib. 2. cont. Epis. Parmen. cap. 10. observat. *Omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.*

LXIV. Necessaria tandem est in Ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia, non solum ut licite, sed etiam ut valide Sacramenta conficiat; nisi enim humano more ageret, quomodo gereret Christi personam? Intentio autem haec potest esse vel actualis, vel virtualis, vel habitualis: prior optima est, & maxime optanda, sed non tamen necessaria; altera sufficit; tertia Sacramenti valorem omnino evacuat, & tollit. Quare errarunt turpissime Lutherani & Calvinistae affirmantes, Sacramenta mimice, & irrisorie collata a Ministro nihil cogitante, nihilque animo intendente valida esse, ac proficua.

LXV. In sacras Ceremonias, quae in Sacramentorum celebratione, ut sanctius administrentur, & suscipiantur, adhiberi solent, tum veteres, tum recentiores Haeretici adeo debacchati sunt, ut affirmare non erubuerint, eas superstitiosas esse, magicisque incantationibus similes, atque idcirco ad polluendam potius, quam ad celebrandam Sacramentorum consecrationem, & sanctitatem adinventas. Contra has putidas, solemnesque calumnias nos e contrario statuimus, Ecclesiae inesse auctoritatem instituendi in solemni Sacramentorum celebratione Ceremonias ad Dei cultum pertinentes, illarumque usum pium esse, ac laudabilem.

LXV.

LXVI. Imo eædem Ceremoniæ in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione ab Eccleſia præſcriptæ ita religioſe uſurpari, ſervarique debent, ut prætermitti, vel mutari, vel negligi, vel contemni privata auctoritate citra culpam nullo modo poſſint. Qui enim poteſtati Eccleſiæ, quæ jure ſtatuit quoſdam ſervandos eſſe ſacros ritus, reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Atque hic finem noſtræ exercitationi ponimus.

De iis habebitur concertatio in Ven. Pontificio Anglorum Collegio ab eo qui ſupra; facta cuilibet post tertium contradicendi facultate: concertationi præerit ANTONIUS SALVAGGI *in eodem Collegio Sacræ Theologiæ Profeſſor. An. D.* 1784. *Menſe Auguſti Die Hora* 21 $\frac{1}{2}$